

24. Fit dubium 2. an incurrat irregularitatem qui abortum procuravit in dubio, fuerit nec ne animatus? Affirmant Salm. Viva, ex cap. *Ad audientiam, de homic.* et aliis textibus similibus ubi dicitur: in dubio an in homicidium concurrerit vel ne, habendus esse pro irregulari. Sed sententia huic adversa, quam tenent Præpos. Giball. Maia Pelliz. Marchant. Verde Tambur. Elbel Diana Sporer, et alii cum docto auctore *Instruct. pro confessariis nov.* mihi videtur certa. Et ratio videtur esse convincens, quia ex una parte habemus in cap. *Is qui, de sent. excom.* irregularitatem non incurri, nisi in lege expressa sit. Ex altera, in nostro casu nullibi expressum est quod hæc irregularitas incurratur; nam quamvis in allegatis textibus irregulares declarati fuerunt aliqui de quibus dubitabatur an fuerint vel ne causa homicidii, tamen certum erat quod homicidium patratum fuerat; sed in nostro casu, cum sit dubia fetus animatio, dubium est etiam homicidium. Itaque nos sumus in casu, cui non reperitur expresse ab aliqua lege imposita irregularitas. Secus contra est dicendum de iis, de quibus dubitatur an sua opera concurrerint nec ne in abortum (1). Si autem dubitaretur de concursu tantum verbali, mandato aut consilio patrato, observa quod dicitur de irregularitate *Tract. 19. n. 7.*; et quod hic dicitur de irregularitate, erit dicendum de excommunicatione; sed quoad irregularitatem, dispensatio a nemine nisi a Papa obtinenda est. An autem Episcopus possit dispensare cum iis qui abortum procurarunt, circa inhabilitatem ad obtinenda beneficia; affirmant Elbel Sporer et Roncagl. contra Anaclet. (2). Vide quod dicitur est *Tract. 2. n. 58.*

25. Dubitatur 3. (redeundo ad quaesitum propositæ quaestionis IV.) an liceat matri medicinam sumere directe ad expellendum fœtum inani-

(1) L. 3. n. 396. — (2) n. 396.

mem? In hoc ex una parte certum est ex se loquendo, non licere (ut principio dictum est) directe fœtus etiam inanimis expulsionem procurare (modo jam non esset certe corruptus) quacumque ex causa, quamvis mater cæteroquin esset in mortis periculo, aut propter parentes ex sua prægnatione injuria affectos, ut irrationabiliter permittebat propositio 34. damnata ab Innoc. XI. aut propter periculum quod mater in aliis partibus experta sit, ut dicitur cum communi sententia Sanch. Azor. et Petrocoren. Ex alia parte certum est apud omnes licere remedium præstare matri, directe ad medendum ejus morbo, licet cum periculo abortus, cum morbus est mortalis. Hoc posito, multi dd. dicunt in eo casu licere fœtum expellere, qui certe non sit animatus, etiam directe, quia tunc (ut dicunt) habetur fœtus tanquam vitæ matris aggressor. Alii dd. contra communis hoc negant. Sed recte hic ait Basemb.: Quid refert opinione opposita uti de directa expulsionem, cum juxta omnes potest sine culpa fœtus indirecte expelli (3)?

26. Dubitatur 4. an liceat matri prægnanti de fœtu animato medicinam sumere directe, ut convalescat, sed cum prolis periculo? Cum moraliter certum judicetur quod, moriente matre, moriatur etiam proles, nulli dubium est hoc licere. Difficultas versatur cum aliqua spes affulget quod, moriente matre, possit proles supervivere et baptizari. Hoc permittunt etiam in tali casu Holzm. Prado et Salm. dicendo quod obligatio vitæ temporalem fundendi ut vita æternæ proximi procuraretur, tunc adest, cum proximi salus spiritualis est certa, non vero cum est dubia. Sed huic opinioni ego nescio acquiescere, quia aliud est debere se exponere morti ad proximi salutem obtinendam, et hic regulæ adversariorum (nempe quod salus proximi debet esse certa) locus datur; aliud est

(3) n. 394. v. Quar. igit. 1.

ob defendendam propriam vitam positive proximum æternæ mortis periculo exponere; cum enim æquale est periculum tam matris quam prolis moriendæ sine baptismo, certum mihi videtur quod, ordine charitatis spectato, magis evitandum est periculum prolis, quam matris: quare puto omnino tenendum cum Petrocorense Elbel et Tournely, (qui citans Sylvium Comitolum et Habert vocat communem hanc sententiam) præbere medicinam matri cum periculo fœtus animati licere in eo solo casu, quo nulla spes appareat rationabilis de prolis vita, ut possit baptizari post matris mortem; nam tunc tantum videtur non obligare charitas matrem (in extrema necessitate positam), ut abstineat a medicina, ob solam remotissimam spem quæ haberetur de vita prolis. Quapropter Salmanticenses dicunt medicos non debere adeo scrupulosos esse in præbendis medicinis mulieribus prægnantibus, quia rarissimus est casus, imo moraliter impossibilis, ut sentiunt Sanch. Lugo et Ronc. quod si mater moriatur, proles supervivat. Et idem confirmarunt plures medici docti, quos ego consului de hac re; cum enim mater aliquo morbo mortali laborat, humores corrumpuntur, et alimentum prolis contaminant, adeoque proles moritur probabilissime, dum (et forsitan antecederet) mater moritur (1). Nihilominus est qui mihi æstatur non semel accidisse, quod ob peritiam chirurgorum statim ac mater spiritum exhalaverit, inciso matris utero, proles viva extracta fuerit, et baptizata. Non autem licebit matrem incidere cum periculo probabilis mortis, ut baptizetur proles, etiamsi adesset ejus assensus. Si tamen periculum matris esset remotum ob peritiam chirurgi, tunc posset incidere, et ipsa teneretur incisionem perferre. An autem ex tali incisione possit infans ad baptismum pervenire, sine periculo gravi

(1) Lib. 3: n. 394. v. Quar. 11.

matris, videant experientiam callentes; mihi enim hoc difficile videtur (2)

CAPUT III.

DE DUELLO ET BELLO.

27. *Punct. I. De duello. Propositiones damnatæ a Benedicto XIV. circa duellum*
 28. *Quando duellum erit licitum; pœnæ in duellantes.*
 29. *Punct. II. de bello. An liceat bellum movere cum opinione probabili.*
 30. *An liceat inimicos fidei in auxilium vocare.*
 31. *An miles possit bellare in dubio justitiæ*
 32. *Quæ actiones in bello liceant.*

PUNCTUM I. De Duello

27. Duellum est pugna inter duos aut plures ex conducto præcedenti de loco, die et armis. Duellum non est licitum nec ad veritatem indagandam, nec ad lites finendas, nec ad objecti criminis purgationem, et tanto minus ad timiditatis notam (ut permittebat proposit. 2. damnata ab Alex. 7.), aut ignominia vitandam, licet tantum apparenter fieret; itatenendum cum communi contra alios. Et advertendæ hic sunt 5. propositiones novissime damnatæ a Benedicto XIV. 10. nov. anni 1752. in Bulla *Detestabilem*, et sunt sequentes: I. *Vir militaris qui nisi offerat et acceptet duellum tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.* II. *Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humane viltensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse sequituram, utpote ab aliis impediendam.* III. *Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duellantes latus dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis samæ, vel officii.* IV. (2) Lib. 6. n. 406. v. Omnino.

Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit. V. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur.

28. In duobus casibus tantum duellum erit licitum. I. Ad finiendum bellum commune, et justum cum minori damno, aut, ut aliqui dicunt, ad servandum honorem exercitus ab inimicis oppressi. II. Si inimicus determinatus est ad te occidendum, et ex sua petulantia tibi arma concedit ad te defendendum; nam tunc pugnatio tua est vera defensio, modo pugnam aufugere non valeas (1). Tres vero sunt pœnæ quas Trident. (Sess. 25. c. 19. de ref.) imposuit duellatoribus: 1. Infamia cum bonorum confiscatione. 2. Privatio sepulturæ ecclesiasticæ quoad eos qui in conflictu decedunt, licet Sacramentis ante mortem præmuniti fuerint, ut ex cit. Bulla *Detestabilem*. 3. Excommunicatio papalis ipso facto incurrenda tam ab ipsis duellatoribus, quam a patrinis, consilium dantibus (modo consilium fuerit efficax, ut notat Elbel), et insuper a præsentibus favore aut locum, et etiam a spectatoribus, non quidem ab illis qui per transitum ibi reperiuntur, sed ab iis qui data opera assistunt, ut explicavit Gregorius XIII in Bulla *Ad tollendum*, sic dicens, *ex composito spectantes*; imo addunt communiter Tourn. Salmant. Elbel, et alii, comprehendendi proprie solos socios duellatorum, aut eos qui sua præsentia illos ad pugnam acuunt (2). Quocirca advertenda sunt 1. prædictas pœnas, et excommunicationem non incurri, nisi ob duellum stricte acceptum, nempe præmeditatum (ut dictum est) cum designatione loci, temporis, et armorum (licet cæteroquin

(1) L. 3. n. 400. (2) n. 404.

sine patrinis conficeretur, ut declaravit Gregorius XIII. in cit. Bulla); secus vero si pugna ex inopinato accideret, licet gladiatores ex rixæ impetu ad locum magis aptum se reciperent, uti communiter dd. (3) 2. Quamquam ex verbis Concilii videatur requiri, ut duellum sit secutum, tamen ex Bulla Clementis VIII. *Illius vice*, etiamsi duellum non sequitur, tam principales quam omnes alii cooperantes excommunicationem incurrere (4). Notandum 3. si duellum non est notorium nec ad forum deductum, Episcopos posse absolvere a præfata excommunicatione ex cap. 6. *Liceat*, Trident. sess. 24.; sed non jam Regulares, nisi Romæ, et extra Italiam (5).

PUNCTUM II. De Bello.

29. Tres condiciones requiruntur, ut bellum sit justum; auctoritas principis supremi; intentio recta de bono communi; et causa justa et gravis. Quæritur 1. an liceat inferre bellum cum sola probabili opinione? Tres adsunt sententiæ. *Prima* affirmat cum Azor. Sanch. Filiuc., etc. dicens quod, sicut permittitur privatis litem movere cum sola probabili opinione, ita et principibus bellum movere concedendum est; saltem ad obtinendam partem regni quod contenditur, cum nullus adsit iudex supremus qui hanc litem decidere potest. *Secunda* cum Bannez Prado et Ledesma, requirit saltem probabiliorem, eo quia, prout eo casu iudex debet rem privato adjudicare, licet non sit in rei possessione, ita princeps, cum nullus adsit iudex competens, potest bello potiri eo quod præten dit. *Tertia* sententia docet non posse bellum inferri, si non constat certe de jure quod ad illud habet, dum pro regula generali acceptum est (ut dictum est *Tract. 1. n. 18.*) possessorem bonæ fidei non posse re exspoliari, nisi constet quod injuste retineat; ita de

(3) Ibid. — (4) L. 7. n. 220. — (5) Ibid. Not. 5.

bello loquendo dicunt Castr. Laym. Holzm. Vasq. Sal. Montesin. Villal. Salmant. qui pro certa habent hanc sententiam; et Tambur. qui ut improbabilem habet contrariam. Hæc tertia sententia, spectata intrinseca ratione, mihi videtur longe probabilior. Cæterum aiunt Roncagl. et Salmant. quod, cum bellum regulariter tot damnorum religionis, et tot scelerum causa est, saltem in praxi valde difficulter potest videri justum esse bellum inferre sine certo jure ad regnum, quod ab alio principe possidetur (1).

30. Quæritur 2. an liceat principi catholico in bello justo infideles, aut hæreticos, ut sibi auxilientur, advocare? Alii absolute negant; alii vero absolute affirmant; alii denique cum communi, ut s. Antonin. Suar. Sylv. Bonac. Castropal. Coninch. Busemb., etc. dicunt probabilem esse secundam sententiam semper ac nulla damna religioni futura sint; sed quia in praxi inevitabilia sunt, ideo dicimus cum Mol. Sporer Salmant. Diana, etc. in praxi omnino primam esse sequendam (2).

31. Quæritur 3. an miles possit bellare in dubio de belli justitia? Distinguendum: si ipse est subditus, bene potest, imo tenetur, ut dicunt communiter dd. ex celebri illo textu s. August. allato in can. *Quid culpatur*, dist. 23. qu. 1. ubi dicitur posse miles juste pugnare usquedum non est certus bellum esse injustum: *Si utrum sit* (contra præceptum Dei) certum non est, sunt verba s. Patris. Ratio est quia subditus tenetur obedire ubi peccatum certum non est, ut diximus *Tract. 1. n. 18.* Qui vero non est subditus, non potest in mi-

(1) Lib. 3. n. 404. — (2) Ibid. n. 406.

litiam descendere, nisi sit certus de ejus justitia; quia nemo potest cooperari ad spoliandum aliquem re quam possidet, nisi sit certus quod injuste ille eam possideat. Et idem dicendum de militibus salario conductis, modo ante belli illationem conducti reperirentur (3). Notandum hic peccare milites qui ab exercitu, cum adhuc spes victoriæ erepta non sit, aut a castris sine justa causa decedunt (4).

32. Quæritur 4. quænam actiones sint licitæ in bello justo? 1. Licet occidere inimicos, et eorum bona arripere. Innocentes tamen non licet directe occidere, bene tamen eos exspoliare bonis si ipsi sunt partes reipublicæ inimicæ, et alio modo haberi victoria non potest, ut dicunt Mol. Bellarm. Laym., etc. verum bona ecclesiastica deberent restitui, si adhuc extant (5). 2. Licet ecclesias demoliri si inimici pro defensione iis utantur. 3. Licet uti insidiis et stratagematibus: non autem puteos veneno inficere, aut aliud efficere quod prudenter cavere non possit. 4. In aliquo casu, sed raro, ex urgentissima causa potest a duce juberi civitatem dari diripiendam, ut dicunt Laym. Fill. Sa, etc. 5. Licet captis in bello fugere semper ac possunt. 6. Licet bona inimici damnificare (quod dicuntur repressaliæ), modo adsit principis præceptum, et consistet de injuria a civibus reipublicæ inimicæ illata, et non excedatur iusta compensatio (6). De bonis in bello arreptis immobilia ad principem spectant, mobilia vero ad arripientes, nisi consuetudo sit contraria (7).

(3) n. 408. v. Quær. — (4) n. 410. — (5) n. 409. — (6) L. 3. n. 410. — (7) n. 411.